

quae audisti?“ At ille ait: „Miror valde.“ Maria iterum interrogavit dicens: „Visne scire, quid hoc sit et unde venerit?“ Ille respondit: „Hoc est, quod multum desidero.“ Ait ergo Maria: „Chorus, quem audisti psallentem, chorus virginum est, quae sicut in altissimis coram deo et agno iubilant cantantque, sic etiam ministros Christi in terris degentes visitant et cantu suo laetificant.“ Deinde Conradus interrogavit dicens: „Quis es tu, ex cuius ore mihi haec mellea verba distillant?“ Respondit Maria: „Ego sum Maria, mater domini et regina virginum.“ Quae rursum ait: „Odor devotionis tuae allexit me et ideo ego veni cum virginibus meis ad consolandum te. Ista etiam comitiva virginum tibi propter me dulcisonam prompsit symphoniam, ut caelici cantus tibi praelibaret tinnitum et elevaret affectum.“ Et his dictis Maria valedixit. Conradus vero laetatus in his, quae audierat, perrexit ad soporis requiem, immo magis ad rimandam profundius auditam dulcedinem.

Cap. 13 [De studio et efficacia orationis et quod liberavit animam patris sui a poena]

Cupiens humilis servus Christi, omnia opera sua feliciter consummare, orationis studio potissime intendebat, quod sacro dictante spiritu magis deo suo complacere cognoverat. In oratione siquidem deum alloquimur et audimus et quasi angelicam vitam agentes inter angelos conversamur. Propter orationem etiam purificatus affectus et intellectus ad summum et unum verum lumen uniuntur^{u)}. Libet ergo recitare eius studia, quae sicut sunt in veritate fidelia ita et imitatione digna. In virtute namque orationis suae humilis servus Christi animabus impetravit salutem, curavit languidos, infirmis corporibus et cordibus reddebat sanitatem, sicut ipsa comprobant opera. De quibus aliqua exempli gratia duximus annotanda. In primis igitur de salute animarum parentum suorum orationibus suis obtenta exordium sumamus. Dum iste felix infantulus adhuc inter materna viscera iaceret clausus et nondum vidisset diem humanum, pater ab hac luce prius est subtractus, quam infantulus ab utero matris esset egressus. Pater enim eius in dimidio dierum adolescentiae suae horrendum carnis et spiritus subivit divortium et dirae mortis, quae nec aetati nec conditioni parcat, crudele vectigal persolvit. Contigit deo namque permittente, ut pater ipsius et quidam nobilis

u) unitur *W*₇.